



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Controversiarvm Praecipvarvm In comitiis  
Ratisponensibus tractataru[m], & quibus nunc  
potissimu[m] exagitur Christi fides & religio, diligens, &  
luculenta explicatio**

**Pighius, Albertus**

**Parisiis, 1549**

Beatiss. In Christo Patri Pavlo, Romanae & catholicae ecclesiae antistiti  
Pontificique Maximo, eius nominis tertio, Albertus Pighius S. D.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29467**

BEATISS. IN

CHRISTO PATRI PAULO,

Romane & catholicae ecclesiae antistiti Pon-  
tificique Maximo, eius nominis tertio, Alber-  
tus Pighius S. D.



Controuersias, quibus nostra hac  
tēpestate misere exagitur Chri-  
sti ecclesia, quas, dum earundem  
componendarum gratia tuo man-  
dato Pontifex beatissime interes-  
semus conuentibus nuper celebra-  
tis in Germania, qua potuimus di-  
ligentia libellis duobus, diuersis

etiam locis, ita tunc cogente rerum & itinerum, profectio-  
numque nostrarū necessitate, procinctu & instātia, impres-  
sis atque editis ita explicauimus, ut evidens faceremus: ex  
qua parte in singulis staret orthodoxa catholicaq; Veritas,  
vix dum reuersi in patriam, in vnum nunc corpus redactas,  
elegantioribus typis, cum expeterentur ab omnibus, &  
prius impressae non sufficerent, iterum excudi curauimus: &  
tuae Sanctitati dicandas censuimus: ut cuius auctoritatem,  
in his omnibus quae circa fidem & religionem quaestioibus,  
pugnis, & concertationibus oriuntur in domo ecclesiastica,  
vbique asseruimus conseruanda in eadem paci & fidei vni-  
tati prorsus necessariam, re quoque ipsa & facto religiose  
agnosceremus. Nam in illis, tametsi ad pietatis regulā, quā  
didicimus in catholica ecclesia, perpetuo colimantes, ab ea-  
dem in nullo nos deflexisse confidimus. Ut tamen homines

## EPISTOLA DEDICATORIA.

omnes sumus, & erroribus multis obnoxii, hoc unum mihi probabitur perpetuo in omnibus, quod tue Sanctitatis, & apostolicae sedis V. iudicio comprobatum fuerit, ut quod divina in his assistentia, pro totius Christi ecclesiae necessitate singulari prerogativa nititur. Nec moror, ut nostrum hoc factum calumniaturi sint religionis hostes & aduersarii. Nam dedi operam, & spero effecisse me, ut omnes possint intelligere, suscepisse me labores istos, nullius demerendi, quia unius Christi, uniusque orthodoxae & catholicae veritatis asserendae, sarcindendaeque unitatis & concordiae studio in ecclesia. In qua, cum ad extremam iam necessitatem vetum sit, in tuam Sanctitatem piorum omnium post Deum respiciunt oculi, & expectant, ut illi se totam impendat pro suo officio, nec quicquam intentatum relinquat, quin potius extrema quoque extremis morbis remedia adhibeat, & Deo hominibusque, praesentibus posterisque re ipsa contestatum, faciat, per ipsam non sterisse, si quo minus, peccatorum nostrorum demerito, ab ecclesia sublata fuerint haec pernitiosissima dissidia. Quam ut suae ecclesiae Christus diu seruet, dirigat, prosperet, & eidem suggerat reparandae constituendaeque in eadem unitatis, dignitatis, & disciplinae ecclesiasticae consilia efficaciam, eundem piis votis cum piis omnibus orare non cessabimus. Datum Coloniae Nonis Ianuarii. Anno a nato Salvatore M. D. XLII.

Albertus